

## §. VIII.

*Grando est Meteorum aqueum, è guttulis aqueis, in descensu à frigore intensiori conglaciatis, ortum.* Res facile intelligitur. Nempe si frigus intensius inveniatur circa finem mediæ Aëris regionis, tunc guttas aqueas consolidat ac condensat, & sic Grando fit, quem à granis derivant. In quo si insolitæ interdum figuræ reperiantur, ad supernaturales causas est recurrendum. *Nix est Meteorum aqueum, è nube, antequam in pluviam resolvatur, à frigore excellentiori condensatâ genitum, instar lane mollioris terram petens.*

Quando enim nubes jam incipit mutari in guttas, secundum superius dicta, & supervenit ei frigus vehementius, tunc frigus tales flocculos efficit, qui vagantur hinc inde, donec, partim ob gravitatem, partim ob insequentium impetum terram petant. Atque illi flocculi aut semper, aut certè sæpissime figuræ sunt sexangularis: in cujus rei causam multi quidem inquisiverunt, sed pauci rem acutetigerunt. Verissima videtur hæc esse ratio: Atomis aqueæ, coeuntes in guttas, vergunt quàm maximè ad circulum, ut probatum suprà dedimus. Hunc verò quando nives, cum congelantur, ob materiæ penuriam, adsequi nequeunt, necessitate coactæ, figuram adsumunt hexagonam, quæ quàm proximè circulum refert. Cæterùm circa doctrinam de nive duæ nobilissimæ, sed difficillimæ, occurrunt quæstiones. Primò quæritur:

B 3

Utrum